



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

NUM. 3. *Mores.*

IN Herzegovinâ omnes Catholici sunt, & impensè B. Virginem colunt, cuius imago visitur prope Seralium multis miraculis illustris, ad quam adeunt etiam Turcæ ægrotantes, & nonnumquam sanantur. In aliâ parte prædones ferè sunt indigenæ, & ita parentum suorum Bessorum referre videntur indolem.

NUM. 4. *Politia.*

OLIM habuere Despoten dictum S. Sabæ, itémque in aliâ parte Regem dictum Illyriorum. Vltimus eius Despotes Stephanus cognomine Laticus, vulgò *Hierchée*, à Turcis excoriatus est (alij capite tantùm multatum volunt) iusto Dei iudicio, quòd patrem suum suâ ditione expulisset, & maluisset occupare principatum, quàm expectare: eidem quoque parebant Seruia & Rascia. Eo cæso vacuum possessionem inuaserunt Hungari, sed Ludouico cæso anno 1520. Turcæ his omnibus regionibus potiti sunt: iam autem Bassa ius dicit Bossenæ, & 800. equites alit.

§. 8. *De Valachia.*NUM. 1. *Nomen.*

NVGANTVR qui à Flacco quodam Romano Duce dictam volunt quasi Flacciam. Certius est sic appellatam à Blachis populis, quorum meminere Græci mediæ ætatis: hi autem videntur fuisse Itali, quia nunc indigenæ se *Polochos* vocant, Germani *Vulesken*, quæ vox Italos sonat: Turcæ *Iflach* appellant, & Bogdaniam à principibus Bogdanis, quod nomen *Theodorum*, seu *Des-donam* significat. Dicitur autem Valachia Transalpina, & Parua ad discrimen Moldaviæ, quæ Valachia quoque nominatur, sed ἀπὸς.

NUM. 2. *Qualitas.*

HÆC regio syluis vbique ferè opacatur, vino nihilominus & frumento abundat. Alit oues & boues, quàm in Hungariâ maiores, qui in Hungariam, & Germaniam deducuntur, vnde diuitiæ Valachorum. Equi hîc quoque vegeti, laborisque patientissimi, maximè si castrati sint.

NUM. 3. *Mores.*

OMNES penè Pastores, Armentarij, aut Subulci. Bellicosissimi